



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

XV. An seruandæ sint iuris solennitates in concessione feudi, vel
emphyteusis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

de sepult. & Genuens. in prax. cap. 33. num. 17. & c. 61. num. 7. Subdunt sextò, peccare mortaliter eum, qui fidelium corpora sepelire negligit, quando non est alius, qui id officium præstet; quia opus misericordiae, & charitatis obligat in casu necessitatis. Doctores, quos citat, & sequitur Layman lib. 3. cap. 12. num. 12.

DVBITATIO XV.

An seruandæ sint iuris solennitates in concessione feudi, vel emphyteusis?

S V M M A R I V M.

- 1 Feudum, vel emphyteusis si non concedatur de nouo, sed antiqua, & iam concessa renouetur, seruanda non sunt iuris solennitates.
- 2 Renouatio feudi, vel emphyteusis antiqua non reputatur alienatio, sed prioris alienationis facta continuatio.
- 3 & 4. Feudum, vel emphyteusis, si de nouo concedatur, seruanda sunt iuris solennitates, quia tunc concessio feudi, vel emphyteusis est vera dominij utilis, & cuiusdam Ecclesiasticae seruitutis alienatio.
- 5 Positis iuris solennitatibus potest feudum, vel emphyteusis in perpetuum, etiam pro hæreditibus extraneis concedi.
- 6 Ecclesia seruatis iuris solennitatibus concedit etiam in perpetuum pro hæreditibus extraneis venditionem, & donationem.
- 7 Vt renouatio feudi, & emphyteusis non noua alienatio, sed prioris antiquæ alienationis, seu concessionis continuatio reputetur, tres conditiones requiruntur.
- 8 Prima conditio est, ut feudum, vel emphyteusis concedatur eodem modo, ac prius erat concessa, ita ut si quæ fiat variatio, non censeatur continuatio antiqua.
- 9 Secunda conditio est, ut in renouatione adsit evidens Ecclesiæ utilitas, sicut adsit in prima concessione, alias renouatio illicita erit.
- 10 Sufficiens causa renouandi emphyteusim est remuneratio obsequij in ea facti, quia sic in utilitatem Ecclesiæ excitantur alij ad meliorationes faciendas.
- 11 Tertia conditio est, ut res non sit iterum Ecclesiæ incorporata, quia per incorporationem extinguuntur prima alienatio, & res fit ita Ecclesiæ, ac si nunquam ab Ecclesiâ exiisset.
- 12 & 13. Incorporata dicitur res Ecclesiæ, si is ad quem administratio spectat, decernat eam non alienare, quod præsumitur si finita emphyteusis per annum integrum a renouatione abstinerit.
- 14 Res Ecclesiæ semel cum solennitate iuris alienata, est semper sine solennitate iuris alienabilis, interuenientibus tribus dictis conditionibus.
- 15 Terra sterilis potest concedi in emphyteusim, et melioretur.

Responderetur distinguendo, seruandas non esse, si feudum, vel emphyteusis non concedatur de nouo, sed antiqua, & iam concessa renouetur, quia talis renouatio non reputatur alienatio, sed prioris alienationis facta continuatio. Sic dicebam supra dub. 1. & docent Socinus consil. 169. n. 9. lib. 2. Iason consil. 155. lib. 2. Lessius lib. 2. de iust. & iure, cap. 24. dub. 11. num. 59. Couar. 2. var. cap. 17. n. 4. Clar. §. emphyteusis, q. 6. n. 1. & §. feudum, q. 13. n. 1. Riccius decis. 26. 70. & 116. Genuens. Thom. Delbene de Immunit. Eccles. Pars I I.

in praxi, cap. 60. n. 5. & 6. Menoch. de arbit. casu 81. n. 5. & seqq. Mol. de iust. disp. 469. concl. 5. Valquez in opus. de redditibus, c. 2. §. 2. dub. 16. n. 57. Sopranus apud Fillium tract. 44. c. 4. ad fin. Gonzal. reg. 8. Cancellar. gloss. 6. n. 194. Scortia thesor. 116. Quaranta verb. Alienatio n. 39. & seqq. Barbosa de iust. Episc. part. 3. alleg. 95. n. 29. & Bonacina q. 8. punct. 4. n. 30. & habetur ex cap. 2. de feud. & ex Extrauag. Ambrosia, ibi: Vel contractum emphyteuticum, præterquam in casibus à iure permissis, ac de rebus, & bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis.

At seruandas esse, si feudum, vel emphyteusis concedatur de nouo; quia tunc concessio feudi, vel emphyteusis est vera dominij utilis, & cuiusdam Ecclesiasticae seruitutis alienatio. Sic communiter Doctores, & habetur ex cap. 1. de his, que fiunt à Prelato, & ex cit. Extrauag. Ambrosia, ubi cum excipitur feudum, & emphyteusis in casibus à iure permissis, (id est, quando res est solita dari in feudum, vel emphyteusim, ad cuius veritatem sufficit vnica concessio, teste Claro §. feudum, q. 13. n. 4. Molina disp. 648. concl. 8. Riccio decis. 26. n. 3. & Barbosa cit. alleg. 95. n. 36.) consequens est, quod in alijs casibus, nisi interueniant iuris solennitates, prohibeatur.

Cæterum positis iuris solennitatibus potest feudum, & emphyteusis in perpetuum, etiam pro hæreditibus extraneis concedi; quia ius Canonicum, cui in hac re, utpote ad Ecclesiam spectante, standum est, omnem venditionem, donationem, permutationem, feudum, & emphyteusim prohibet, non seruatis iuris solennitatibus, & è contra omnia hæc absque vlla exceptione concedit, seruatis iuris solennitatibus; ergo.

Confirmatur, quia in perpetuum, etiam pro hæreditibus extraneis, si seruentur iuris solennitates, concedit venditionem, & donationem; ergo multo magis si seruentur iuris solennitates, concedet feudum, & emphyteusim. Consequentia probatur, quia per venditionem, & donationem transfertur dominium directum, quod est quid maius: per feudum autem, & emphyteusim transfertur tantum dominium utile, quod est quid minus. Sic Doctores, quos citat, & sequitur Couar. 2. var. c. 17. n. 4. & 5. Clar. lib. 4. sentent. §. emphyteusis, q. 6. n. 4. & q. 28. num. 5. & seqq. Mol. de iust. disp. 469. concl. 1. Valq. de redditibus, cap. 2. §. 2. dub. 16. num. 57. & colligitur ex Aubert. de alien. & emphyteusi, §. licentiam, ubi corrigitur Aubert. de non alien. §. emphyteusim, concedens emphyteusim solum ad vitam accipientis.

Dixi, iuris solennitates seruandas non esse, si feudum, vel emphyteusis non concedatur de nouo, sed antiqua, & iam concessa renouetur. Vbi aduerte, quod ut renouatio feudi, & emphyteusis non noua alienatio, sed prioris antiquæ alienationis, seu concessionis continuatio reputetur, tres conditiones requirantur, quarum

Prima conditio est, ut feudum, vel emphyteusis concedatur eodem modo, ac prius erat concessa, v. g. si prius erat concessa, ut non se extendat ad hæredes extraneos, vel ultra vitam vnius, neque in renouatione ad extraneos, vel ad vitam alterius concedatur; ita ut si quæ fiat variatio, non censeatur continuatio antiqui feudi, vel emphyteusis, sed noua concessio. Sic Mol. loco cit. Clar. §. feudum, quest. 13. Genuens. in praxi, cap. 60. num. 6. Riccius in praxi, decis. 26. Barbosa alleg. num. 32. Bonacina punct. 2. num. 20. & alij passim.

Secunda conditio est, ut in renouatione adsit evidens Ecclesiæ utilitas, sicut adsit in prima concessione, alias renouatio illicita erit. Vnde si prius datum fuerit prædium sterile in emphyteusim, ut sic ad culturam reduceretur, & finita emphyteusi, non

O 3 sterile

- sterile, sed fructiferum factum sit, renouari non poterit emphyteusis, nisi ex noua causa euidenti utilitatis Ecclesie, quia iam prior causa cessauit, & quia pradium sic redditum reputatur diuersa res, ac erat prius.
- 10 Est autem sufficiens causa renouandi emphyteusim, remuneratio obsequij in ea facti, quia sic in utilitatem Ecclesie excitantur alij ad meliorationes faciendas. Vide Barbosam *num. 26. & 34.* Riccium *decis. 5.* Grassis *decis. 4. de locato*, Genuensem *cap. 60. n. 6.* Scortiam *theorem. 116.* & Perciram *de nomine emphyteus. q. 12. n. 2. & q. 23. n. 60.*
- 11 Tertia conditio est, vt res non sit iterum Ecclesie incorporata, quia per incorporationem extinguitur prima alienatio, & res fit ita Ecclesie, ac si nunquam ab Ecclesia exiisset. Sic dicebam *supra dub. 1.* & docent Abb. in *cap. vi. super de rebus Eccles. non alien. n. 11.* Clar. *de emphyteusi q. 6. & de feudo q. 13.* Couar. *cap. 17. num. 4.* Mol. *disp. 468. concl. 3.* & Bonac. *quest. 8. punct. 4.*
- 12 *num. 30.* Dicitur autem res Ecclesie incorporata, si is, ad quem administratio spectat, decernat eam non alienare, quod præsuntur decreuisse, si finita emphyteusi, per annum integrum à renouatione abstinerit. Mol. *disp. 468. ad finem*: vel si, vt in *cit. sect. 1.* dicebam, post traditionem, expirante contractu, fuerit quoad fructus Ecclesie incorporata, id est, fuerint fructus eius vñbus Ecclesie à Prælo in corporati.
- Ex dictis inferunt Gonzal. *regul. 8. Cancellar. gloss. 6. n. 194.* Barbosa *alleg. 95. n. 32.* & Riccius in *praxi dec. 26.*
- 14 quod res Ecclesie semel cum debita solennitate alienata, sit semper sine solennitate iuris alienabilis, quod tamen intellige, si adsint tres conditiones, quas *supra* dicebam.
- 15 Sed de hac re vide, quæ doctè docet Paulus Staibanus in *resol. forens. resol. 1. & 2.* per totam, & Franciscus Leo, qui probat ex multis iuribus posse terram sterilem concedi in emphyteusim illi, cuius studio ad culturam reducat.

DVBITATIO XVI.

An, & quando feudum, vel emphyteusis Ecclesiastica censetur concessa in perpetuum, etiam vt transeat ad hæredes extraneos?

S V M M A R I V M.

- 1 Feudi, vel emphyteusis concessio si facta sit expresse in perpetuum, seu ad quoscumque hæredes, quos emphyteuta relinquere voluerit, censetur concessa in perpetuum, & transeat ad hæredes non solum descendentes, sed etiam ascendentes, & extraneos.
- 2 Ascendentes, & extranei hæredes propriissime sunt hæredes.
- 3 Feudi, vel emphyteusis concessio si facta sit pro se, suisque hæredibus, non transcendit tertiam generationem, neque deuenit ad hæredes extraneos.
- 4 Feudi, vel emphyteusis concessio si facta sit pro se suisque filiis, diuidenda est æqualiter inter filios, neque potest pater vni, ceteris omis, assignare.
- 5 Pater non potest mutare voluntatem Domini concedentis expressam in concessione emphyteusis, vel feudi, secus si de filiis tanquam hæredibus mentio facta esset.
- 6 Feudi, vel emphyteusis concessio, si facta sit pro se suisque filiis, & descendens, non transit ad

extraneos, neque ad ascendentes, transeat tamen ad filios, quamvis hæredes non sint.

- 7 Feudi, vel emphyteusis concessio si facta sit pro se, suisque filiis, & hæredibus, deuenit ad filios si hæredes sint.
- 8 Dictio copulativa (filiis & hæredibus) denotat rationem concedendi filiis emphyteusim non esse solum, quia filij sunt, sed etiam quia hæredes.
- 9 Ex vi talis concessionis, emphyteusis fit Ecclesiastica, nec competit hæredibus extraneis, secus si sit secularis.
- 10 Dictio illa (filiis, & hæredibus) non limitat significatum filij, sed potius augeat significationem illius.
- 11 Emphyteusis concessio, si facta sit tibi, tuisque filiis, absque eo quod addatur hæredibus, competit filiis, licet patris hereditatem renuntiauerint, quia talis emphyteusis non est hereditaria, sed ex pacto: secus dicas de feudo, si in eadem forma relatum sit.
- 12 Feudum, licet hereditarium non sit, nunquam potest ad filios Patris hereditatem repudiantes deuenire.
- 13 Emphyteusis concessio si facta sit tibi, nulla facta mentione hæredum, vel successorum, emphyteusis hereditaria non est, ac proinde ad filios non hæredes pertinere potest.
- 14 Feudum, vel emphyteusis hereditaria dicitur quando expresse in constitutione feudi, vel emphyteusis mentio sit hæredum: vt si dicatur Tibi, tuisque hæredibus.
- 15 Feudum, vel emphyteusis hereditaria non dicitur quando relinquatur nulla mentione facta hæredum, vel relinquatur tibi, tuisque filiis descendens.

Respondetur, & dico primò, si feudi, vel emphyteusis concessio facta sit expresse in perpetuum, seu ad quoscumque hæredes, quos emphyteuta relinquere voluerit, certum est, quod sit in perpetuum, & transeat ad hæredes, non solum descendentes, sed etiam ex probabiliori sententia Doctorum, ascendentes, & extraneos. Sic colligitur ex *Authent. de alienat. & emphyteusi, §. licentiam*. Et probatur, quia ascendentes, & extranei hæredes propriissime hæredes sunt: & ita docent Couar. *2. var. c. 17. n. 5. concl. 4.* Clar. *lib. 4. sent. §. emphyteusis, q. 28. n. 9.* & Mol. *de inst. tract. 2. disp. 469.* loquendo de emphyteusi Ecclesiastica: quia de emphyteusi priuata nulla est difficultas. Quapropter conueniunt Doctores, quod talis emphyteusis transeat ad hæredes quoscumque, etiam ascendentes, & extraneos.

Dico secundò, si feudi, vel emphyteusis concessio facta sit pro te, tuisque hæredibus, non transcendit tertiam generationem, neque deuenit ad hæredes extraneos, *Authent. de non alien. §. emphyteusis*: & docent Couar. *cit. cap. 17. n. 5.* & Vasquez *cap. 2. §. 2. dub. 17. n. 59.* Nomine autem hæredum veniunt non solum viri, sed etiam feminae, *cit. §. emphyteusis*, & docent Couartu. *c. 18. n. 1.* & Vasquez *cit. dub. 17.*

Dico tertio, si feudi, vel emphyteusis concessio facta sit pro te, tuisque filiis, diuidenda est æqualiter inter filios, neque potest pater vni, ceteris omis, assignare; quia tunc emphyteusis competit filiis, non ex voluntate patris, sed ex voluntate Domini concedentis emphyteusim, quam voluntatem pater non potest mutare, *cap. 5. in princip. de success. feudi*: & tradunt Doctores, quos citat, & sequitur Couar. *cit. cap. 18. num. 2.* Molin. *disp. 474.* & Vasquez *cit. dub. 17. n. 60.* Excipe, nisi quid aliud concedens expresse determinauerit, vt si dixerit: Concedo tibi, tuisque filiis, vt ipsis tanquam hæredibus deferatur: quia tunc voluntati patris prælectio relinquatur, sicut & melioratio. Sic Couar. *n. 2. concl. 4.* & Vasquez *n. 6.*

Dico